Q. D. B. V.

# [D]ISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
# [R]AUCEDINE,

*Quam*,
JUSSU ET AUTORITATE
[I]lluſtris ac gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ in alma Salanâ,
PRÆSIDE
[G]EORGIO VVOLFF-GANGO WEDELIO,
[M]ed. Doct. Theoret. P.P. Archiatro Ducali Saxon. S.R.I. Nat. Curioſ. Adjuncto, & h.t. DECANO,
*Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore nunquam ſatis colendo,*
PRO LICENTIA
Summos in arte Medicâ honores, inſignia & privilegia Doctoralia legitimè conſequendi,
*publicæ Philiatrorum examini ſubmittit*
[G]EORGIUS FRIDERICUS KINNERUS,
BREGA SILESIUS,
*in Auditorio Majori,*
horis ante- & pomeridianis,
*Ad diem April. M. DC. LXXXIII.*

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

# PRÆFAMEN.

SErmo manus mentis à ſupremo numine homini conceſſus eſt, ut hoc pacto ſocietas iniri & ſtabiliri poſſet. Sermo, verba ſunt *Scaligeri exerc. 256.* ad auxilium à naturâ comparatus, maximâ enim ex parte ad retinendum humanæ ſocietatis conjunctionem videtur inſtitutus.

Sermo cogitata profert, ac intellectus & voluntatis interpres eſt, unde ſoli homini proprius obtigit. Voce hâc articulatâ hymnos Creatori concinimus, ſolamur alios, jubemus, increpamus, laudamus, noſmetipſos alloquimur; ut ad extra ſermo rectè diſtinguat hominem à brutis.

Datus ſermo ad neceſſitatem, ſcilicet, quæ deeſſent nobis, ut ab aliis peteremus, quæ haberemus, ad ea communicanda declararetur animi noſtri ſignificatio. Datus idem ad jucunditatem & ornatum.

Mille ſonorum modulis, & vocum flexionibus exprimimus affectus & movemus, ut muſices omnis compendium in microcoſmo videas & fundamentum.

Cum verò decora hæc vocis variatio multis vitietur modis, tum circa aeris ſciſſionem, tum refractionem, placuit loco ſpeciminis Inauguralis DE RAUCEDINE impræſentiarum agere, quod ut benè cedat, vocis & ſermonis autor primus & ſummus largiatur!

## Caput I.

# Definitionem nominalem & realem continet.

ORdinem & methodum Diſſertationis noſtræ obſervaturi, meritò prius de nomine, antequam rem ipſam aggrediamur, ſolliciti eſſe debemus, quippe à nominibus provehimur in rei perceptionem, autore *Scaligero exercitatione 1. ſect. 1.* Hinc etiam *Plato in Gorgia* ait, nominum gnarus, gnarus rerum. Conſiſtit autem illa nominum cognitio in tribus, *Etymologiâ Synonymiâ* & *Homonymiâ.*

Etymologiam quod attinet, Græcis dicitur βράγχος, unde & βραγχιάω, quod *rauceſco* ſignificat; hinc etiam βραγχώδης vocatur, qui *raucus* eſt. Quoniam verò hæc ad ſcopum noſtrum parum faciunt, iis non diu immorabimur; ſed Lexicographis ea relinquimus. *Raucedo* ſine dubio, quod Philologis viſum eſt, ob aſperitatem τοῦ R, & gravitatem vocalium ſequentium dicta eſt, ut hoc ipſo aſperitas vocis & ſermonis, ſeu res quam ſignat, exprimatur convenienter. Plura de hoc videri poſſunt apud *Matth. Martin. in Lexico Etymologico pag. m. 3046.* & *Gerhard. Johann. Voſſium in Etymologico Linguæ Latinæ pag. m. 429.* alioſque.

Synonymia non prætereunda, variis enim hic inſignitur nominibus morbus. Sic vocatur nonnullis catarrhus gutturis, *Cœlio Aureliano* influxio faucium, *Plauto* verò ravis, unde ad ravim uſque clamare, *Plinio* raucitas, *Lucretio* aſperitas vocis, *Schneidero* ſudatio nimia Laryngis. Germanis verò dicitur die Heiſerkeit / dumpffige Stimme / quibus etiam latinæ affinis denominatio rau / rauher Halß / in uſu eſt. Anglis *Hoarſneß.*

Homonymiam quod concernit, raucedo generaliter aliquando ſumitur pro omni aſpero ſono. Sic enim ait *Virgil. Æneid. 11.* dant ſonitum rauci perſtagna loquacia cygni. Ubi

raucos

raucos cygnos vocat, non quidem canoros, aut optimam vocem habentes; ſed alarum concuſſione inter volandum raucum per aëra ſonum efficientes. Sic quoque rauca lupa dicitur, unde *Horatius libr.3. carm. od. 27.* canit: ab agro rava decurrens lupa. Sic quoque aliquando pro feſſo & defatigato ſumitur, uti raucus rumor *Ciceroni l.8. ep.famil.10.* dicitur, q.d. ex clamore ſonoro fatigatus.

Specialiter verò ſumitur de voce humanâ informi, quæ rauca dicitur. Sic nonnunquam quoque ipſa coryza raucedo vocatur, uti videre eſt apud *Caliſtum Procaccinum in Libro*, quem vocat *Medicum ad Tyrones.* Specialiſſimè dicitur raucedo, ſi larynx ſeu guttur, & ad illud ſpectantes partes, quæ vocem efformant, afficiuntur, in quâ ſignificatione & nos ſumimus, uti ex ſequentibus patebit.

DEFINITUR autem raucedo, quod ſit *depravatio vocis ex clarâ in obtuſam, æquali in aſperam, dependens à ſciſſione aëris in rimulâ laryngis inæquali.*

GENERIS ſeu rationis formalis vicem conſtituit depravatio vocis, quo ipſo & actionem læſam, & læſionis ipſius modum exprimimus. Hujus verò præſentiam, cum ſit ex illis affectibus, quæ celari minus poſſunt, ipſi ſenſus ſatis manifeſtant.

Hinc, cum juxta *Galenum lib.de ſymptom. differ. cap.3. & 4.* quælibet actio trifariam lædatur, ita ut alia ſit *ablata*, alia *imminuta*, alia *depravata*; raucedinem, cum vox non aboleatur, ut in aphoniâ correptis animadvertitur, diverſo quidem reſpectu ad imminutas & depravatas actiones referre poſſumus magis tamen ad poſteriorem claſſem, cum in qualitate vitioſè, indecenter, non uti debebat, vox peragatur. Conſentientem habemus *Sennert. lib. 2. prax. part.3. cap.4. pag.m.356. Schenck.in ſynopſi inſtitut. pag. m. 186.*

Ut verò ad ſymptomatum claſſem ſic indubiè ſpectat raucedo, ita nomen hoc jure tueri poteſt tum reſpectu morbi in genere, quandoquidem extra conſtitutionem partium fabricæ humanæ hæret præter naturam, & ab aliis producta eſt,

 tum

tum reſpectu hujus vel illius in ſpecie, quem comitatur ac ſtipat, vel ἐπιγινομένη ſe videndam ſiſtit. Exempli loco ſit lues venerea, in quâ ut ſerum eſt deturpatum, & ſalibus vitioſis peregrinis inquinatum, quæ fermenti inſtar per totum corporis habitum ſeſe explicant, atque ſeminia ſua ab unâ parte ad alteram propagant; ſic ad laryngem delata depravatæ ſuæ indolis ſeminia cum hoc quoque communicant, hincque raucedinis exiſtunt autores.

Differentiam Specificam reliqua definitionis conſtituunt verba: quod nimirum ſit depravatio vocis ex clarâ in obtuſam, æquali in aſperam. Quando igitur vocis claræ conſtitutio, quæ ex arteriæ aſperæ atq; laryngis moderatâ ſiccitate fit, vitiatur, & v. gr. organa vocis pituitâ copioſâ, craſsâ, viſcidâ, quæ nihil aliud eſt quam ſerum coagulatum, vid. *D. Præſ. theoremat. part. 2. ſect. 2. §. 20. pag. m. 43.* implentur, hæc claritatem ſuam amittit, atque ex clarâ in obſcuram atque obtuſam fit mutatio. Vid. *Codronch. de vitiis vocis lib. 1. cap. 14. p. 68.* & *Sennert. l. 2. prax. part. 3. cap 4. p. 360.* Sic etiam quando vocalia inſtrumenta, quæ ſecundùm naturam lævia atque æqualia eſſe debebant, aſpera atque inæqualia redduntur, hujus quoque autores exiſtere queunt, Hinc perpulchrè *Codronch. de vitiis vocis lib. 1. cap. 11. pag. m. 59.* ait: Exaſperata & inæqualis arteria, aſperam, lævigata verò & æqualis lenem ac ſvavem vocem emittit; inæqualitas enim inſtrumenti inæqualem vocem efficit; & hanc vocis inæqualitatem aſperitatem dicimus, quod etiam exemplo demonſtratur: Scilicet quando ſonus iſte, qui ex limâ aut ferro eliditur, ob limæ inæqualitatem ferrum inæqualiter percutientis, inæqualis, aſperque redditur magis, ac minus, pro limæ majore minoreve inæqualitate. Quicquid enim læve & glabrum eſt, dulcius ſonat, aſperis verò & inæqualibus exaſperatur vox.

## Caput II.

# Subjectum examinat.

Ut cauſa morbifica eò meliùs cognoſci, & conſequenter ſecundum artis præcepta curatio inſtitui, medicamentaque

que convenientia huic morbo applicari poſſint, neceſſum eſt, ut prius ſubjectum cognitum ſit. Sede enim morbi prius benè perpensâ, felicius in ejus notitiam & curationem pervenire quemque poſſe, monet *Celſus lib. 4. de re med. cap. 1* cujus monitum ut nos quoque ſequamur, in noſtri affectus ſubjectum ſumus inquiſituri.

Ut itaque partem primariò affectam denominemus, ex ipsâ ratione formali ponimus, ibi indubiè hærere affectum & conſidere, ubi vox efficitur, & ſonus aeris ſciſſi in diſtinctas articulationes formatur.

Illud ergò per mechanicam, ad regulas & fundamenta ſonorum aliorum, aſſerimus eſſe glottidem medicis vocatam, ſeu rimulam laryngis, quæ & lingula dicitur, & lingulam tibiænon minus quàm inſtrumenti vocalis in homine ac brutis quoque notat. Hanc in morbo noſtro primariò affici atque hujus SUBJECTUM PRINCIPALE eſſe, meritò concludimus.

Id verò ut melius pateat, operæ pretium eſt, hoc loco, tanquam maximè convenienti, de ſtatu naturali communis hujus omnis vocis & ſermonis inſtrumenti pauca quædam afferre, & ſupponere, quantum non tàm ad exhauriendam totam vocis vel ſonorum profunditatem facit, quàm ad illuſtrandum noſtrum affectum.

Ponimus nempe 1. glottidem eſſe rimam oblongam in medio larynge, qui caput ſummum & oſtium eſt aſperæ arteriæ, ſubſtantiæ planè ſingularis, & Latinis guttur, Germanis die Kähle/ audit, ut Pharynx gula, oſtium œſophagi, Germ. der Schlund.

2. Eſſe hunc angiportum aereum, quà aer dilabitur, tranſit, it, redit, refringitur, unde cum idem omnium ſonorum ſit ſubjectum, hic unicè invenit, ubi allidatur & ſonum efficiat.

3. Aliud eſſe reſpirare, aliud loqui, utrique verò præeſſe glottidem. In reſpiratione paſſivè glottis ſe habet, uti etiam cedendo, ſuo modo, in deglutitione ipsâ, in loquendo verò activè.

4. Omnem motum, qualis inprimis ſermo eſt, fieri à facultate animali &conſequenter à muſculis,fibris & nervis,quæ ſingula & dilatare & conſtringere, & deprimere,pro exigentiæ modulo, apta nata ſunt; unde & inter loquendum manifeſtè circa aſperam arteriam talismodi undulatio, ſeu modulatio potius, & juxta hanc varians motus conſtrictorius & dilatatorius perſentitur ipſo ſenſu. In reſpirando verò eadem quieſcit, aliàs omnis reſpiratio eſſet canora. De his laryngis muſculis legi merentur Anatomici, & inter hos inſignifſimus *Archang. Piccolhomineus prælect. anatom. p. 316.*

5. Nervos recurrentes eſſe vocales,quibus conſtrictis,vox ſonus & ſermo omnis interpolatur, vel amittitur, laxatis iterum redit, & ſibi redditur, quo de videri meretur *Veſalius Corp. hum. fabr. l. 7. c. 19. p. 822.* Illi ſcilicet ab interiori ſede reflexi in laryngem inſinuantur, irradiant vim motricem muſculis & fibris motricibus, atque ſic, ut loquitur *Piccolhom. l. c.* motum ei motui perſimilem adferunt, qui in architecturæ machinis trochlearum ope completur.

6. Per aſperam arteriam totam, adeoque & præcipuè circa laryngem, decurrere vaſa lymphatica,ſuis velut cataractis & diverticulis,glandulis, coercita & producta plurimis, imò totum hoc clima velut ſpongioſum glandulis infinitis ſcatere & lymphæ eſſe receptaculum. Unde & ſcreatus ad excutiendum,quod laryngi moleſtum eſt, ut tuſſis, quæ pulmonem infeſtant, facit.

7. Glottidem lævitate temperatâ gaudere, ut & liberè dimitti, liberius ſcindi, & citra remorſum aer hinc in ſonos formari ſciſſus poſſit.

8. Ad vocem tum ſimplicem, tum articulatam edendam requiri tenſionem aſperæ arteriæ, ut quando loqui velimus, vel clamare, huc intendamus aerem, cœteroqui nudè & quietè tranſiturum, ſicque fiat hujus ſciſſio, quam modificant inferius impulſio ſeu tenſio aeris varia, ſuperius concamerationes & refractiones aeris ſciſſi variæ. In reſpiratione ergò laxitas, in voce edendâ tenſio eſt neceſſaria.

Ex

Ex his ut ſtatus p.n. in raucedine melius percipi & declarari poterit; ita conſectarium eſt, ſubjectum hocce morbi modò affici per πρωτοπάθειαν, eſſentiali & propriâ labe, quando non aliunde afficitur, ſed circa ſuum clima cauſa morbifica inhæret ſolùm, modò per συμπάθειαν, deducto huc malo è vicinis aliisve corporis locis.

Subjectum Adæquatum ſeu minus principale conſtituunt reliquæ partes, quæ ad formationem vocis ſecundariò concurrunt, quando nimirum vitio quodam afficiuntur, qualia ſunt fauces, aſpera arteria, pulmones, qui inſtar follis ſunt, ſiquidem aerem pro formandâ voce continuò ſuggerunt, atque ad ſuperiora mittunt. Hinc illa animalia ſolùm vocem edunt, quæ pulmonibus atque reſpiratione gaudent, ut rectè habet *Ariſtotel. lib. 2. de anima cap. 8.* Sed hoc officium pulmonum ſecundarium, non verò primarium eſt.

## Caput III.

# Cauſam immediatam & mediatas proximiores exponit.

Expoſitis hiſce, jam ad cauſarum inveſtigationem progreſſum facimus.

Causa Immediata igitur, ut ex definitione patet, eſt ſciſſio aeris inæqualis in rimulâ laryngis. Hâc enim poſitâ ſtatim præſtò eſt morbus hic noſter, atque inter hunc illamque nulla alia intercedit.

Causæ Mediatæ Proximioris vicem ſuſtinent, quæcunque hanc aeris ſciſſionem inæqualem atque aſperam eidem inducere apta nata ſunt. Quando enim ad laryngis rimulam delatus inæqualiter alliditur, neceſſariò hinc raucedo inducitur, atque ſic hujus naturalis lævitas atque æqualitas tollitur.

Ex *vaporoſâ* cauſâ raucedo rarius, vel ſaltim non citra humorem ſimul affectum & alteratum accidit. *Humoroſa* verò omne abſolvit punctum. Neque difficulter elucet, qui-

 nam

nam humor peccet vel accuſari debeat, ſi penſitemus, præter dicta, partes has lymphæ eſſe receptacula, tum communi, tum proprio uſu, exudare illam hîc continuò, coagulari item, inprimis noctu, & ſub ipsâ raucedine, atque hinc cum ſcreatu notabili excerni pituitam lentam, viſcidam, ex lymphæ coagulo & concremento unicè enatam.

Cum itaque non ſolùm os continuo humore perfundatur, ſeu continuò exudet in cavitatem palatinam ſalivam, ſed & ipſe larynx in ſtatu conſtitutus naturali perpetuò madeat, teſte *Schneid. de catarrhis lib. 5. cap. 3. p. 202. Williſ. part. 2. pharmac. rational. cap. 5. p. 5. Bartholin. anatom. reformat. lib. 2. cap. 10. p. 436.* nonſolùm ob lævitatem, ſeu loquelæ neceſſitatem atque commoditatem, ſed etiam ob aerem perpetuo itinere per eum transcurrentem; Cum ſaliva lymphæ ſit progenies, imò ipſiſſima lympha; Cum utraque per glandulas ſecernatur, quæ nullibi conſpectiores, eminentiores, & copioſiores ſunt, quàm in ore, v. gr. ſublinguales, buccarum, labiorum, uti & ipſa quoquo uvula glanduloſa eſt; imò quoque ipſa laryngis ſubſtantia multis gaudeat glandulis, meritò quoad *eſſentiam* cauſamur lympham, quæ in opere hoc vocali munus ſuum egregiè tutatur & obit. Inducit raucedinem lympha aerea tribus illis delinquendi modis, *quantitate*, *qualitate* & *motu*, quando vel exceſſu, vel defectu, immanenter vel tranſeunter, à facultate læsâ vel errore externo, improportionem talem inſtrumento ſonorum inducit, ut exaſperatum ſcindere ritè aerem nequeat.

Exuperantia lymphæ huc facit, quando in toto corpore ſerum copiâ excedit, atque ſic maſſa ſanguinea humore nimis copioſo obruitur. Hinc ad laryngis ſubſtantiam, moderatius tamen adhuc, delatus, hujus pelliculam particulis ſuis uvidis, aquoſis, pituitoſis, plus juſto inundat, hinc ſonus ille, in quo vocis eſſentia conſiſtit, minus perfectè poteſt formari in rimulâ laryngis, atque hinc vox depravatur & ſic raucedo inducitur. Exempli loco ſint inſtrumenta muſica, quæ dum nimiâ perfunduntur humiditate, vocem claram atque ſono-

ram

ram edere nequeunt. Corpora enim ſicciora clariorem habent vocem: impoſſibile enim eſt corpora illa, quæ multis gaudent humiditatibus vocem claram emittere poſſe, uti latius tradit *Galen. lib.7. de compoſit. medicam. κ.τ̃ cap.1.* Hinc ſcroſiores ut catarrhis, ita & raucedini magis ſunt obnoxii.

Contra ea defectus lymphæ itidem huc confert. Cum enim ſubſtantia laryngis, uti ex ſuperioribus patet, humore quodam perfuſa perpetuò obſervetur, ſi hic tollatur vel deficiat, affectum noſtrum itidem produci conſectarium eſt. Sic in febribus ardentibus, ubi ſerum in totâ maſsâ ſanguineâ deficit, lingua & fauces notabili afficiuntur ſiccitate, atque ariditate quaſi dehiſcunt, propter defectum ſcilicet ſalivalis humiditatis, atque ſic non rarò his raucedo quoque jungitur. Pertinent huc quoque illi, qui orationem in longum diffundunt tempus, atque vehementem & altam, ſicque ad ravim usque edunt vocem, quatenus nimirum nimio motu & perpetuo aeris illiſu humiditas illa naturalis tollitur, atque abſumitur; hic verò per inſpirationem crebriorem attractus glandularum poros conſtringit, qui deinde humorem iſtum dimittere atque ſecernere nequeunt, hincque inſtrumenta vocalia nimium exſiccantur atque areſiunt. Tantò verò magis id accidit, quò citatiori fervore animi intenditur oratio, minus, eodem pacato, & lenius impellente. Confirmat idem hoc remedium, quippe propinato potu ſæpius remittit, quatenus nimirum organa vocalia iterum humore naturali perfunduntur ſuo, hisque tali modo lævitas atque æqualitas priſtina inducitur, unde vel ob hoc cantores, quod ajunt, amant humores.

Cumprimis verò *qualitatibus* peccans lympha in causâ eſt. Per naturam quippe blanda, lævis, æqualis, dulcis eſt, & in his locis quàm maximè talis requiritur. Quando verò in qualitatibus primis deſciſcit in calore, frigore, roſcidâ humiditate, quando in mucilaginoſum coagulum degenerat, aſperatur, ſpiſſeſcit, lævorem exuit; quando ſalia recipit, vel recepta in partibus circa glottidem expandit, acria, acida, au-

 ſtera,

ſtera, criſpantia, & lævorem exuentia, raucedinem infert.

Accuſandus hinc & *motus* tum *generationis*, tum *localis*, prout vel in ipſo loco affecto & circa ejus clima generatur & colligitur per *συναθροισμὸν*, lentam & paulatinam *congeſtionem*, vel aliunde huc amandatur, & *ῥευματισμὸν*, vel quaſi talem, à circulatione ſuâ læsâ concipit. Hinc operæ pretium eſt, conſiderare partem recipientem, mandantem, vias, & modum.

Recipiens locus eſt tenerior, ſubtilior, ſuoque modo ad excretionem quoque ſeri accommodatus, adeoque ſæpè etiam luit tùm reliquorum culpam, tùm domeſticam calamitatem. Accedit debilitas & ad faciliorem receptionem diſpoſitio, aliquando nativa; videas enim, qui ab ineunte velut ætate vocem raucam, vel quaſi talem edunt; aliquando aſcititia. Adeoque actio partis etiam hujus læditur vel ob errorem externum, de quo ſequenti capite, vel ob facultatem læſam in temperie, conformatione & unitate. Intemperatæ hæ partes redditæ, cumprimis quoad qualitates paſſivas, mox acifœtum hunc excludunt.

Quando item glandulæ iſtæ recenſitæ non juſtâ gaudent configuratione, ſed harum pori nimis aperti, vel morbo labefactati ſunt, vel denique humor, quem continent, atomis peregrinis, heterogeneis inquinatus eſt, ſtricturam ſuam oſcilla amittunt, ad excretionem ſtimulus fit, ut in alveolis ſuis contineri neſcius, aggere quaſi rupto, glottidis ſubſtantiam copioſius irruat, hujusque latera aggravet, nimioque perfundat humore, ut ad ordinarium ſonum ſeu vocem reddendam rimula ipſa ſibi fiat diſſimilis.

Illuſtrari poteſt hoc ipſum per mechanicam, quandoquidem æqualia & lævia quæ ſunt, ab extraneo acuto in partes diviſa æqualitatem amittant ſuam. Ad eundem modum ſe res habet in corpore, quando διαχώρησιν in lymphâ ſubeuntia ſalia illam ab indole ſuâ blandâ, ſubſtantificâ & roſcidâ dejiciunt, qualitatibus peregrinis inquinant, & manifeſtam aſperitatem inducunt.

Meritò ergò ex *Chimicorum* hypotheſibus ſalinum accuſatur

ſatur principium, quod laryngem mordacitate ſuâ occulti ignis inſtar urit, corrodit, atque inæqualitatem manifeſtam inducit.

*Helmontius* verò acorem hîc ſuum, ventriculo aliàs gratum, ad maſſam ſanguineam derivatum, accuſat, qui deinde, mediante hâc, ſeminia ſua ab unâ parte ad alteram propagat, hinc ſpiritus animales laryngem inhabitantes ad iram commovet, qui peregrinum fermentum, tunicis hujus impactum cedereque renuens, expulſuri continuò inſurgunt.

*Sylvius* uti aliàs, ita & hîc ad liquorem ſuum lixivioſum & ſalſum ſimulque ſuccum pancreaticum exorbitantem confugit, dum ſcilicet affectum à ſpiritu ſalino muriatico deducit, partes voci dicatas malè afficiente, *Prax. p. m. 870.*

*Carteſius* particulas hamatas, ſagittatas, cuſpidatas, laryngis tunicam lævem atque æqualem dividentes, divellentes, perforantes, atque diſlocantes accuſat.

*Tachenius* & ejus aſſeclæ acidum exſuperans, alcali verò depreſſum cauſantur.

*Alii* ſuccum nervinum nutritium, à blandâ ſuâ dulcedine deſciſcentem, atque in juſto acidiorem degenerantem qualitatem, ex nervorum propaginibus, laryngis ſubſtantiam perreptantibus, delatum, defendunt.

Huc pertinent quoque *ulcera* aſperæ arteriæ, ſeu vocalium inſtrumentorum: quæ ob eandem rationem, quod glottidis conformationem vitiant, raucedinem inducunt. Frequentius autem hoc contingit in illis, qui lue laborant venereâ, ubi nempe ſalia iſta acria, acida, venenata, corroſiva, non ſolùm laryngis membranam, quæ valdè ſenſilis, irritant, corrodunt, aſperamque atque inæqualem reddunt; ſed & hanc ſæpius intimius vitiant, exulcerant, unde etiam ejusmodi ægri, gravius his locis affecti, vix ſonoram edunt ac claram vocem.

*Vulnera* quoque ab extra illata laryngi huc faciunt, quale exemplum ſtudioſi cujusdam recenſet *Schneiderus*, cui caput laryngis extremâ enſis acie penitus erat trajectum; cujus vox

primum erat amputata, mox valdè rauca, tandem clara naturalisque, vulnere ſcilicet ad ſanitatem perducto, *lib.5. de catarrhis, cap.3. p.207.*

Mandantis *generalis* vicem obit totum corpus, quando ſcilicet peregrina talia ſalia vehiculo humoris utriusque, cumprimis aquei appropriati, diverſas corporis perambulant partes, mediante verò circulatione ad laryngem delata, ſi causâ occaſionali quâcunque huc invitentur, præ aliis huic vitioſum characterem imprimunt.

Mandantis *ſpecialem* locum proximius ſuſtinent partes ſororio officio ad vocis modulationem concurrentes, ſive ad motum, ſive ad ſeri diſpoſitionem & diſpenſationem concurrant.

*Muſculi* laryngis hîc non excludendi, quatenus nimirum vocem operantes, ob magnas non ſolùm vociferationes ſpiritu vel aere læduntur; verum etiam ſuperextenſi vehementius notabilem ſuſtinent laſſitudinem, hinc eorum tonicus deſtruitur motus, fibræ fatigantur, atque laxantur, ſicque nimio replentur humore, neque ſufficiens robur obtinent ad contrahendum rimulam laryngis. Vid. *Aet. tetr.2. ſerm.3. cap.51. p.405.*

Spectant huc quoque *nervi*, qui voci edendæ inſerviunt, quando ſcilicet inciduntur, divelluntur, refrigerantur, obſtruuntur. Vid. *Sennert. lib.2. Prax. part.3. cap.4. p.357. Schneid. lib.5. de catarrhis cap.3. p.206.* qui affirmat canem vel dextro vel ſiniſtro nervo recurrente præciſo, non ſolùm latrare non potuiſſe, ſed & irrauſiſſe.

Præcipuè huc ſpectant vitia *glandularum* oris atque laryngis, quando fermenta, quibus à naturâ gaudent, à ſtatu ſuo naturali recedunt, unde & ipſæ facilè vel aciditate conſtringuntur & in poris ſuis lympham retardant, unde ſubſiſtit atque in coagulum abit, & ſic humoris ad lævigationem glottidis neceſſarius allapſus impeditur; vel laxantur, unàque particulis acutis, acuminatis, ſalinis, acribus ad excretionem ſtimulantur. Hinc exterius ad laryngem ſecretum ſerum huic

huic copioſius ſeſe affigit, fermentoque ſuo exotico ſeſe incorporat, commiſcet, atque hujus membranas pungentibus acutisque ſuis angulis, quaſi ſpina infixa lancinat, corrodit, divellit, & acredine ſuâ exaſperat. Notabile ergò eſt raucedinem, quà talem, ſine tuſſi eſſe, manifeſto indicio, in hâc irritationem, & conſequenter inæqualitatem eſſe majorem, in illâ minus. Hinc, verbis *D. Præſ. Theorem. p.66.* ſi aſperitas & corrugatio quaſi æqualis aſperæ arteriæ inhæreat, fit raucedo. Ubi enim in ſolo larynge ſalia iſta peregrina, acida, hærent, abeſt tuſſis moleſtia, ſimulac verò ad aſperam arteriam quoque feruntur, hujus membranam vellicando tuſſim excitant, quoniam membrana hæc ſenſu pollet exquiſito ac acutiſſimo. Vid. *Williſ. pharmac. rational. part.2. cap.1.*

*Uvula* quoque huc referenda, quando vel vulneratur, & inciditur, vel corroditur, quod & *Codronchius l.c. l.1. c.16. p.72.* propriâ confirmat experientiâ, dum obſervavit ex hujus inflammatione, magnitudine auctâ, & laxatione homines raucos factos fuiſſe. Aſſentitur *Sennert. lib.2. prax. cap.21. part.1. p.77.* quando ait, quibus gurgulio exſcinditur, vel roditur, rarò clarè & diſtinctè loquuntur. Utut verò *Bauhinus, in ſuo theatro Anatomico, Hildanus* & alii obſervarint contrarium, utpote nonnullos, quibus gurgulio fuit eroſus, clarè & diſtinctè locutos fuiſſe; illud tamen veritati nil derogat, ut nec iſtud, quod ſolùm uvula in homine reperiatur, jam verò quoque bruta v. gr. canes, equi, aliaque animalia obſerventur diverſis gaudere ſonis, raucedineque affici. Variat nempe læſionis columellæ modus, & conſequenter etiam affectus. Quomodo verò huc conferat eadem, & plectrum vocis ſit, quomodo item claritas vocis deperdatur, cum deperditione uvulæ, ſufficientiſſimè explicuit *D. Præſes Phyſiol. d. ſect.2. cap.13. p.322.*

Nec *gula* expers eſt aliquando in producendâ raucedine, ob viciniam, quandoquidem aſperæ arteriæ ſubſternitur. Hinc vomitus præternaturales, quibus humores acriores rejiciuntur, hic quoque accuſandi ſunt. Fit autem hoc, quan-

do

do ingeſta quælibet, à vitiato ventriculi calore, non debitè coctu, & à ſuppreſſo fermento non ritè contemperata, hinc facilè aceſcunt in ventriculo, atque ſic fibræ nerveæ, interiorem villoſam hujus tunicam conſtituentes, humore iſto acido atque peregrino ſenſim ſenſimque ſaturantur, hinc propter humoris acrimoniam vellicantur, in aſſenſum tractis fibris carneis his ſuperſtratis; inde ſpiritus fibrarum incolæ ſummè irritantur, & contractiones validiſſimas ad peregrini hujus hoſpitis expulſionem ſubeunt, huncque vomitu rejiciunt. Fiunt autem vomitus iſtiusmodi frequentius in hypochondriacis, cujus rei teſtem laudamus *Highmorum de affect. Hypochond. cap. 5. pag. 136. & pag. 195* & inprimis *cap. 6 pag. 207.* ubi tanta ſæpe eſt, *ait*, hujus ſucci acrimonia, ut diuturniori per vomitum ejectione in morbo hoc excoriatum noverim œſophagum, & laryngem contactu ſolùm adeò exaſperatum & exſiccatum, ut vocem raucam & inſonoram redderet; Imò gramen & plantas, acido hoc per vomitum rejecto conſperſas ſucco, exareſcere vidimus, adeò ut cum oleo vitrioli aciditate & vi cauſticâ contendere videatur.

Præcipuè verò humiditas iſta, quâ aſperæ arteriæ caput inundatur, atque ſic affectus hic noſter producitur, à capite ſeu *cerebro* depluere ſtatuitur, hincque nomine catarrhi inſignitur. Quâ in re ut rectè procedamus, mediam ingredi viam conſultum eſt. Non omnes catarrhi, quod veteribus placuit, à capite indifferenter ad partes ſubjectas depluunt, unde modò cum tecto, quod fumoſæ domui, modò cum cucurbitâ, quæ alembico imponitur, comparatur. Hinc uti quodvis membrum lymphâ & glandulis à natura dotatum eſt, ita verum eſt quoque quodvis habere ſuum fontem atque radicem defluxionis, ut non opus ſit, ſemper caput tanquam fontem accuſare. Vid. *Steno. de Muſcul. & glandul. p. 50. Helmont. de tuſſi & aſthmat. item in delirament. catarrhor. §. 14. 15. 18.* Nec nulli à capite arceſſendi ſunt, quaſi nullum excrementitium ſerum ad cerebrum tendat, ſed ante fores deponatur à M.S. in narium clauſtra.

De

De glandularum numero cerebrum eſt, atque hinc quoque ab *Hippocrate* glandula maxima dicitur, officina quoque ſpirituum ac lymphæ eſt, & hinc indies magna humorum fit ſecretio. Externum quoque caput innumeris poris atque glandulis ut & vaſis lymphaticis à naturâ præditum eſt; imò copioſior etiam lymphæ abundantia in hoc reperitur ac in corde, uti *D. Præſes l.c.p.176. cap.24. ſect.3.* ait. Accedit, quod viæ ad nares è cerebro obſerventur, quod itidem *loc. citato*, & ab *Excell. Bohnio, Præceptore honoratiſſimo in diſſertatione de catarrhis* §. 12. demonſtratur, per os nempe cribriforme iisdem exitum concedi. Confer. *Williſ. anatom. Cerebr. cap.12. p.m.60.* Ubi nonnullæ obſervationes circa ægrotantes ab ipſo annotatæ exſtant, quæ viam excretionis in nares dehiſcentem demonſtrant, imò cerebrum, in recens nato epileptico tenellulo infante, quaſi liquatum per nares particulatim fuiſſe excretum, *D. Præſidis* experientia *l.c.* confirmat. Sic & *Steno de glandul. p.43.* à glandulâ pituitariâ in venas liberam annotavit viam: imò catarrhoſi, ſeu quibus nares continuò fluunt, minus redduntur apoplectici, quoniam materia extravertitur.

Hæc igitur cum nobiscum penitius penſitamus, in catarrhis cerebrum non planè immune atque exemptum credimus, quatenus ſcilicet cerebrum cum reliquis capitis glandulis copioſam in partes ſubjectas remittit lympham, qui recurſus circularis ſi turbetur, & ad glottidem deflectat, raucedo in promptu eſt.

Si *viſcera alia* luſtremus, quædam proximius, quædam indirectè & ſecundariò huc culpâ ſuâ faciunt.

*Pulmones* ſi ſalſi, acres, acidique humores impleant, horum ſubſtantiam corrodunt, & ſæpius hæmoptyſin, vel ſine illâ ulcera excitant atque tabem producunt. Hinc non ſolùm aer, qui per exſpirationem ad fauces amandatur, atomos iſtas exoticas halitu ſuo thermopylis hiſce affigit, ſed & excretione per tuſſim huc appellentes in viâ aſperam afficiunt arteriam, unde ad hujus caput delati, copioſius ſeſe parietibus affigunt, & membranam peregrinis atque vitioſis fermentis ſuis exaſperant.

 *He-*

*Hepar* quoque *Gvilielm. Fabrit. Hildan. centur. 6. obſervat. 24. p. 525.* accuſat, quatenus ex hoc præter modum calido continuo vapores ad caput aſcendant, ibidemque condenſati ad partes inferiores, utpote ad fauces, arteriam aſperam, pulmones, & muſculos laryngis defluant. Meliori autem jure hoc in loco accuſatur hepar, quando à conſtitutione naturali aberrat, bilemque non ritè transcolat, unde particulæ ſulphureæ & acriores volatiles, quæ aliàs in veſiculâ felleâ colliguntur, & hinc ſeorſim ad inteſtina excernuntur, ſanguini confuſæ manent, quæ deinde varia excitant ſymptomata.

Tacemus *ventriculum* acidis vomitibus vicina oſtia non rarò pulſantem, *lienem*, *pancreas*, *renes*, glandulis inſtructa infinitis, & ſeri diſpenſationi invigilantia; imò *teſtes* ipſos, quorum cum vocalibus inſtrumentis conſenſus inſignis eſt, *Hippocrati* dudum notatus *l. 4. epid. c. 31. t. 9.*

## CAPUT IV.

### *De*

# Cauſis remotioribus agit.

EX mediatis cauſis remotioribus primo loco ſiſtimus TEMPERAMENTUM, quod reſultat nimirum ex ſeri & ſanguinis, quæ vehiculum ſunt calidi, & ipſum conſtituunt, diſpoſitione variâ. Ita ſi particulæ oleoſæ volatiles, ſulphureæ ſub ſeroſarum ſunt dominio, adeoque ſeroſæ excedunt, & ſic illas ſuperant, unde remiſſior calor, & reſpectivè frigus oritur; vel etiam ſi ſerum mite à blandâ ſuâ majori gradu remittit dulcedine, atque ſalinis, acidis, auſteris, conſpurcatur atomis, facilè anſam noſtro præbet affectui.

Pertinet huc ἰδιοσυγκρασία, ſeu glottidis à primo quaſi ortu conformatio vitioſa, vel debilitas quoque, tum quoad ipſam fiſtulam, tum quoad vicina. Ita accidit aliquando, ut uvula deficiat penitus à naturâ quoque, uti p. n. ab eroſione gallicâ frequentiori, vel ſcorbuticâ rariori, qualia exempla ſingulorum obſervavit *D. Præſes.* Eo caſu vocem vitiari, & nominatim in raucam, ſubmiſſam mutari neceſſum eſt, ob reſultantem in glottidem vicinam noxam.

Ætas nulla à raucedine immunis eſt, ſunt tamen qui infantes eximunt, ob lactis, quod ſugunt, mitigantem & demulcentem naturam. Id tamen magis ita apparet, quàm reverà eſt, ſiquidem ut minus illud deprehendatur, ob loquelæ carentiam, ſatis tamen clamore rauco id exprimunt. Tàm puerilis, quàm ſenilis huic morbo obnoxia eſt. Utrorumque enim corpora aqueis, ſeroſis, lymphaticis ſcatent humiditatibus, licet in ſenibus humidum ſit magis excrementitium, qui aliàs quoque ſicci audiunt, ob defectum ſcilicet humiditatis naturalis. Huc accedit quoque, quod puerilis ætas copioſo ac frequenti egeat alimento, & voracitati utplurimùm nimiæ operam det, hinc fermentum ventriculi haud ſufficiens robur obtinet, cibos ingeſtos ſufficienter evolvendi atque ſolvendi, unde maſſa ſanguinea vitioſis atque heterogeneis inquinatur humoribus, qui deinde variorum morborum cauſæ exiſtunt.

Quod autem de ætate puerili dictum, corporibus quoque ſenum applicari poteſt. Cum enim horum calidum innatum fatiſcat, vires quoque creſcentibus annis imbecilles fiant, tonus ventriculi languidus evadat, hujusque fermentum ſenſim ſenſimque à ſuâ recedat activitate, hinc cibi in ſuccum non ſatis laudabilem convertuntur, ſicque humores à ſtatu ſuo recedunt naturali, cruditatesque cumulantur.

Sexum quod ſpectat, viri quidem ſæpius quàm fœminæ hoc experiuntur malum, quoniam hi ſæpiùs errores diætæ committunt fœminis. Ab omni tamen culpâ fœminas excludere non poſſumus, dum ſcilicet viris ſunt ſeroſiores, plùrimæque quoque vitam amant ſedentariam, unde crudi humores generantur, &, quod primarium eſt, ſæpiùs impedito vel planè ſuppreſſo menſium fluxu laborant, qui innumera hinc mala illis creat.

Influxus Astralis ſi hîc quoque aliquid contribuat, id à ☿io læſo à ♄ vel ♂te in ſignis aereis repetendum eſt. Vid. *Mœb. epit. inſtitut. p. 239.* Plenilunio catarrhi, tuſſes & raucedines frequentiores ſunt, quàm aliis ſub phaſibus.

Habitus Corporis huc quoque referri poteſt, denſior quidem, dum ſero, quod aliàs tranſpirat per poros cutis, viam præcludit, illudque in corpore cumulat; rarior verò ob glandularum & fibrarum texturam debiliorem, unde faciliores lymphæ exorbitantiæ.

Sequuntur Res Nonnaturales, ubi primum locum occupat Aer, qui corpus noſtrum inſpirando & ambiendo variè alterat. Hinc, juxtà *Hippocratem*, qualis inſpiratur aer, ac circumfuſus transſpiratur, tales quoque ſunt mortalium ſpiritus & humores.

Facit autem huc aer calidus rarius & per accidens magis; quatenus enim particulis ſulphureis celerius agitatis abundat, totam humorum maſſam celerius commovet, & ſua effluvia, quæ continet, ſulphurea huic communicat. Hinc ſpiritus diſſipantur, pori aperiuntur, glandularum tonus laxatur, ſanguis ſuo individuo comite, ſero ſcilicet, plus juſto defraudatur, hujusque major contingit excretio, unde corpus humido ſuo naturali depauperatur, ſiccitas præternaturalis inducitur, & ſic larynx ſiccitate, aſperitate atque inæqualitate afficitur, unde ad raucedinem facili diſponitur negotio.

Frigidus verò aer inprimis hîc conſiderari debet, quatenus non ſolùm cutis poros occludit, unde humores aliàs excerni ſoliti occlusâ viâ recedunt, & ſic ſerum viſcidum atque pituitoſum evadit, quandoquidem humorum motum langui-dum & torpidum reddit, quod videmus in illis, qui frigus ingens diu perpeſſi, ſomno corripiuntur, imò, ni expergefiant, moriuntur; Sed & quatenus aer frigidus, per inſpirationem ad laryngem delatus, hujus glandulas conſtringit, atque ſic impedit humoris hujus ſecretionem, unde inæqualitatem atque aſperitatem inducit. Hinc quoque illi, qui aeris frigidioris inclementiam diutius experiuntur, utplurimum catarrhis & raucedini obnoxii ſunt. Vid. *Plater. Tom. 1. Prax. p. m. 466.*

Humidior verò ejus conſtitutio corpus noſtrum copioſiori mactat ſero; hinc ſanguinem aquoſiorem facit, fermentationem hujus, & ſpirituum animalium copias imminuit,

nuit, atque ſic tuſſis raucedinisque generationem promovet. Siccior verò aer contrarios edit effectus.

Illuſtrari hæc poſſunt magis, ſi non tam primas qualitates aeris, quàm ſecundas & tertias luſtremus. Denſior quippe, nebuloſus, obſcurus, ſalibus nitroſis, ammoniacalibus, hamatis, pungentibus & rodentibus, quod hyeme fit magis, repletus inæqualitatem facilius in viâ perpetuâ ſuâ per glottidem inducit, aſperat & raucos facit. Hinc borealibus plagis præ calidioribus, paluſtribus præ aridis locis frequens eſt, teſte *Coo l. de aer. aq. & loc. c. 38. t. 5.* Pertinent huc vapores ac fumi, tùm ſimplices, lignorum, carbonum, qvi præter oculos etiam aſperæ arteriæ atque hujus capiti laryngi maximè infeſti ſunt: tùm inprimis minerales, acres, acidi, venenati, ſulphurei, antimoniales, arſenicales, ſaturnini, aliiqve. Hinc effluvia iſta mediante aere, qui vector eſt miaſmatum omnium talismodi mineralium, per inſpirationem cum aſperâ arteriâ communicantur, atque ſic ſuis ſpiculis acutis, acuminatis, hamatis, aluminoſis, ☉licis, nitroſis, ſalinis, quibus prædita ſunt, aſperæ arteriæ membranam irritant, arrodunt, exaſperant, aſthma, tuſſim, raucedinem inducunt.

Spectat huc qvoqve inæqvalitas aeris, & ſubitæ mutationes frigidioris in calidum, aut fervidi in frigidum, quæ periculoſæ ſunt. Nihil enim magis inimicum naturæ eſt, quàm inæqualitas ſubitanea, unde ſtatim & tranſpiratio impeditur, & reſpiratio ſuos patitur in edendâ voce manes. Hinc anni tempora tum abſolutâ, tum reſpectivâ mutatione ſuâ multum huc faciunt. Sic hyemi raucedo familiaris eſt, *3. aph. 23.* hinc & veri, *3. aph. 20.* Nec autumnus quoq; excludi debet, inprimis ſi æſtas ſicca & aquilonia, autumnus autem pluvioſus & auſtralis fuerit *3. aph. 13.* quod confirmatur ab eodem *divino Sene l. de aër. aq. & loc. c. 28. t. 4. & 5.*

Cibus & Potus variè poſſunt procreare hoc malum. Hæc enim non tantum ſecundæ valetudinis, ſed etiam omnium morborum communia eſſe præſidia *Celſus lib. 2. cap. 18.* ait. Peccant autem cibi vel qvantitate, vel qvalitate, vel utendi modo. Si enim in nimiâ ingeruntur copiâ,

piâ, fermentum ſtomachale ſuam amittit activitatem, fibræque atque tonus hujus laxatur, unde centrali ingeſtorum reſolutioni impar ventriculus ſegregando crudum generat chylum, qui hinc terreis, viſcoſis, acidis, tartareis effluviis maſſam ſangvineam inficit, unde innumeri oriuntur morbi, qvod *Hippocrates* etiam confirmat *lib. 2. aphor. 17.* qvando, *inquiens*, præter naturam copioſior cibus ingeſtus eſt, morbum id creat.

Quemadmodum autem in quantitate, ita in qualitate ciborum quoque multùm poteſt peccari. Inprimis autem huc faciunt cibi difficilis concoctionis, ut ſunt carnes fumo induratæ, omnes denique cibi, qui acredinem, auſteritatem, ſalſedinem nimiam conjunctam habent, adeoque ſalſos humores procreant; tales autem ſunt ſalſugine, muriâ & aceto maceratæ. Nec frigidioris & humidioris temperiei eſculenta excludenda ſunt, ut lactuca, cucumeres, cucurbitæ, & id genus alia, inprimis ſi majori aſſumuntur copiâ.

Pertinent huc quoque omnia oleoſa, quæ acredinem quandam in receſſu conjunctam habent, inprimis rancida facta, in quibus ſalinum principium magis explicatur, in recentibus enim adhuc liquore dulci oleoſo obtunditur, v. gr. nuces juglandes, amygdala aliaque. Hinc quoque obſervatum eſt in praxi, pulverem Haly contra phthiſin, niſi recenter diſpenſetur, plus nocumenti quàm emolumenti afferre, quatenus tuſſim excitat, aſperamque irritat arteriam.

Utendi denique modo id fit, quando ſæpius de die, prioribus nondum digeſtis, novi ingeruntur, unde multorum morborum autores ſunt. Quod verò de cibis diximus, illud quoque de potu affirmare poſſumus, quando & hîc in exceſſu peccamus. Sic videmus illos qui nimio indulgent potui, altero manè raro ſonorâ eſſe voce, quatenus ſanguis ſeroſior hinc evadit, qui deinde delatus ad loca varia, nec evacuari, nec recipi poteſt, hinc reſtagnat circa lymphæ excretoria cribra, coagulum ſubit & tum alia, tum raucedinem quoque

produ-

producit. Memorandi hic quoque illi, qui tabaci fumum trahere conſveti ſunt, in quibus ſerum copioſius per glandulas laryngis ad hujus ſubſtantiam deponitur; quoniam tali modo ſeri motus intenditur, & ſic hujus copia imminuitur, dum ſæpius exſpuunt, unde larynx hujusque glandulæ liquore ſuo naturali depauperantur; inde etiam alterâ luce raucedine afficiuntur, quoniam larynx aſperitate atque inæqualitate laborat.

Huc referimus potum frigidiorem, & magnâ copiâ hauſtum, ut æſtate aqua puteana, aut fontana, aut vinum nive vel aliâ ratione gelatum. Vid. *Plater. Tom. 1. Prax. pag. m. 467. Schneid. de catarrhis Lib. 5. cap. 3. pag. m. 208.* Notiſſimum etiam eſt, ſi deflectat potus ab ordinariâ viâ, & epiglottidis ponte non æqualiter inferatur, vulgò in die unrechte Kähle vocant, tum tuſſim, tum raucedinem quoque excitari.

Motus & Quies quoque non ſunt excludendi. Efferato enim & citatiori motu ſi corpus incaleſcat, ingeminatâ quoque halitus productione circa anguſtias ſpiritales facilè intemperies conſurgit. Idque tantò magis, ſi udum corpus à rarefacto ſero aerem frigidum admittat. Adde, quod motus immoderatus ſpiritus in partibus undulantes diſſipat atque exhaurit, hinc ſanguis effœtus redditur, humoribus acrimoniam imprimit, omniumque membrorum robur diſſolvitur. Inprimis verò huc facit ille, qui poſt cibum ſumptum ſtatim inſtituitur, chylificationem impedit, chylumque ſemicrudum adhuc, nec ab excrementis ſatis liberatum, maſſæ confundit ſanguineæ. Vita verò ſedentaria humorum & ſpirituum fluxum moratur, unde calor nativus remittit, ſpiritus torpidiores evadunt, excrementorum excluſio retardatur, dum pori & meatus obſtruuntur, hinc totum corpus repletur vitioſis particulis.

Somnus quoque & Vigiliæ huc ſpectant, ille humorem augendo, hæ depauperando. Somnus enim nimius ſpiritus demergit, lymphæ motum refrænat, ejusque coagulum

lum inprimis circa laryngem promovet, unde à ſomno ſæpius etiam in ſanis vox gravior eſt prius, quàm ſcreatu pituita ex loculis his excutiatur. Vigiliæ verò nimiæ ſpiritus exhauriunt, alimentorum coctionem turbant, quod videmus in illis, quibus ſomnus interruptus gravitates, fluctuationes, & cruditates ventriculi movet, appetitum proſternunt, ac partibus ſolidis inſignem inducunt acrimoniam.

Excreta & Retenta huc maximè faciunt quoque, quatenus ſerum hinc inde in corpore extra vitales terminos abit, & ſua invenit excernicula. His ſi obex quomodocunque ponatur, inprimis circa hæc ſpiracula, στάσις, coagulum, acrimonia ejusdem facilè emergit, ut vocis hæc læſio exurgat.

Sic & ſudor ſi ſupprimatur, calefacto corpore nudato tum à motu, quod diximus, tum balneis & aliàs, ſanguis impuritatibus conſpurcatur, remanent enim partes ſalſæ, acidulæ, vappeſcentes, uliginoſæ, quæ huic deinde peregrinum inducunt motum atque fermentationem, incoquitur ſerum ſanguini, calor non liber eſt, ſed præternaturalis, ſpiritusque fatigantur, & clauſtris quaſi detinentur. Quoniam enim totum corpus eſt perſpirabile, ſi iſta inſenſibilis per corporis ſpiracula tranſpiratio prohibeatur, non ſolùm multos alios morbos producere, ſed & huic noſtro affectui anſam præbere valet.

Quod Venerem attinet, non negandum eſt, ab immutatione ſeri & conſequenter ſpirituum immutari quoque vocem, exemplo caſtratorum, pubeſcentium ac ſimilium, & hinc facilius quoque raucedinem inferri debilioribus ſuo modo partibus. Exinde verò patet omninò, pro diverſo concurſu undulantium ſpirituum vocem quoque ſeu impulſum glottidis mutari.

Ex Præternaturalibus Causis non pauci affectus hunc excludunt. Sic à catarrho ortam obſervarunt raucedinem *Theodoſ. epiſtol.10.p.m.104 Plater.Tom.1.Prax.p.m.468. Scholtz. l.5. conſil.34. p.m.12.* & *lib.7. conſil.81, Foreſt.l.10.obſervat.134. p.m.476.*

*p. m. 476. Horſt. lib. 2. obſ. 12. p. m. 69.* item *lib. 3. obſ. 24. p. m. 147.* Ex inſaniâ ad raucedinem cum tuſſi aliquando fieri diſceſſum, autor eſt *Cous, coac. prænot. t. 329.* Sic quoque difficultati ſpirandi ac deglutiendi jungitur, teſte *Scholtz. lib. 7. Conſ. 80. Codronch. l. 1. cap. 16. p. 72. l. c.* Anguſtiam pectoris comitatur, *Montan. Conſil. Medic. 132. fol. 135.*

Cum febri hectica conjunctam obſervavit *Mercurial. conſil. 90. p. m. 390.* Cum tuſſi obſervarunt *Rolfinc. meth. conſult. lib. 1. cap. 16. pag. m. 72. Timæus lib. 2. obſerv. 3. caſu 12. p. 83.*

Phthiſici quoque non rarò raucedinem experiuntur. Vid. *Aet. tetr. ſerm. 4. cap. 51. pag. m. 406. Sennert. lib. 2. prax. Part. 3. cap. 4. pag. m. 361. Schneid. lib. 5. de catarrhis cap. 3. pag. 210.*

Sic quoque poſt diuturnam colicam raucedo nonnunquam oritur. Vid. *Barthol. anat. reform. lib. 3. cap. 2. pag. m. 680. Höfferi Hercul. Medic. l. 3. cap. 5. p. 226.* Surdaſtri quoque non rarò raucedine laborant. Vid. *Mœb. in Inſtitut. med. cap. 4. p. m. 16.*

Leproſos atque lue venereâ infectos raucedinem incurrere novum non eſt. Vid. *Schneid. lib. 5. de catarrhis cap. 3. p. m. 209. Codronchius l. c. lib. 1. cap. 16. p. m. 72. Sennert. lib. 2. prax. Part. 3. cap. 4. p. 359. Mœb. in Inſtitut. Med. p. 239. cap. 10. lib. 2. p. 2. Plater. Prax. lib. 1. p. 492.* Columellæ læſionem, quando ſcilicet vel inciditur, vel corroditur, vulneratur, aut inflammatur, comitatur raucedo. Imò & epilepſia & pleuritis eandem excitare queunt; *Codronch. loc. cit.*

Non rarò quoque catarrho ſuffocativo, variolis, morbillis, gonorrhœâ virulentâ, hydrophobiâ, aliisque morbis ſeroſis laborantes raucedinem experiuntur.

Omnes ſcilicet morbi, in quibus maſſa ſanguinea particulis acutis, acidis, ſalinis eſt inquinata, hujus autores exiſtere queunt, quatenus ad laryngem delatæ, ejusdem ſubſtantiam ſuis ſpiculis hiſpidis, acuminatis exaſperant, ac inæqualitatem inducunt.

Elegantiſſimum exemplum raucedinis à calculoſo pulmonis & aſperæ arteriæ coagulo, quam aſthma continuum excepit, recenſet *Helmontius l. aſthm. & tuſſ. inſcripto t. 42.*

# Caput VI.
## Agit de differentiis.

COgnitis nunc cauſis, differentias ut proponamus, ordo poſtulat, quæ ex hactenus propoſitis eruere facile eſt.

Ratione Generis alia *mitior* eſt, alia intenſa, *gravior*, ferocior, exceſſiva, qualem obſervavit *Borell. centur. 4. obſervat. 27. p. m. 299.* in famulo quodam, qui tantâ raucitate erat oppreſſus, ut tandem reſpirare neſciens, tanquam moribundus ſterteret, & jaceret quaſi conclamatus.

Alia eſt *ſolitaria*, ſimplex, quæ per ſe absque alio morbo præcedente ægrum affligit; Alia verò *comitata*, quæ aliis conjungitur morbis, ut tuſſi, lui ♀eæ, morbillis. Alia eſt *humida*, cum copioſâ materiâ, alia verò ſicca.

Subjecti ratione, alia fit *per ſe*, vel per ἰδιοπάθειαν, quando aſpera arteria quoad caput, ſeu glottidem, per ſe affecta eſt; alia verò per συμπάθειαν, ſeu per *conſenſum*, cum cauſa morbifica non in ipſo membro latitat, ſed aliunde huc translata eſt, v. gr. à pulmonibus, quando ulcere laborant, & aliis.

Ratione Causarum, totuplex eſt, quot cauſæ ad eandem producendam concurrunt. Alia nativa, alia adſcititia; alia à conformatione, vel unitate læſâ, alia ab intemperie.

Ratione Temporis, alia eſt *recens*, levis, & tranſitoria, quæ non diu durat, alia longior & *inveterata*, quæ non paucis diebus exſpirat, ſed hebdomadibus, menſibus & annis protrahitur, qualem notavit *Lotich. in obſervat. lib. 2. pag. m. 109. Foreſt. lib. 15. obſerv. 32. p. m. 171. Borell. cent. 4. obſervat. 29. p. m. 300. Codronch. in conſilio de raucedine p. 139. Horſtius Lib. 3. obſervat. 24. p. m. 147.* & *Lobelius* obſervavit in juvenculâ quâdam raucedinem decem annos durantem.

Alia eſt *continua*, quæ absque intermiſſione ægrum moleſtat, alia verò *periodica*, quæ per certa intervalla, v. gr. bis vel ter in anno, vel ſingulis annis revertitur.

CAP.

# Caput VII.

## De
# Signis Diagnoſticis & Prognoſticis agit.

PRogredimur ad Signa, ut ex horum fontibus affectum tum in ſe conſideratum ſpectemus, tum reſpectu ad vires & corporis tolerantiam æſtimemus, Diagnostica quæ ſunt & Prognostica.

Quod diagnoſin attinet, ratione Generis, morbus hic noſter vix aliis criteriis, quàm auditûs ſenſu indiget, quoniam per ſe quoq; patet, atq; celari minimè poteſt, modò fauces in ſermonem impellantur. Inde enim extemplò ceu ſorex ſe prodit ſonoræ vocis hæc depravatio. Abſconditur verò protinus, ſi mutũ agat, vel claritatem vocis ſubmiſſione cõmutet æger.

Ratione Subjecti, an per ſe, an verò per conſenſum morbus affligat, facilè cognoſci poterit ex reliquorum affectuum ſignis, quibus jungitur, ſeu à quibus fovetur. Sic affectis pulmonibus, v. gr. ulcere vel phthiſi laborantibus, ex horum ſignorum præſentiâ hoc colligimus.

Ratione Causarum patent ſigna, dum vel ab externis, vel internis fit. Ab internis quidem, ſi à copiâ ſeri ſeu catarrho raucedo originem ducat, is adfuit, vel adhuc adeſt, ſigna catarrhorum conjunguntur. Adſunt enim dolor capitis, gravedo, dolores narium, rheumatiſmi, ſpuitiones crebriores, defluxiones in alias partes, ex quibus facilè patet, copiam ſeri in culpâ eſſe. Si verò à lymphâ acidâ, tenui, ſalsâ, acri, mordicante proveniat, ſenſu ipſo dignoſci poterit, adeſt enim tùm mordicatio & titillatio, ut & pungitivus ſeu lancinans dolor in faucibus, atque nonnunquam quoque laryngis excoriatio, quæ fit ob adjunctam acrimoniam. Si verò aliis morbis, v. gr. lui venereæ, variolis & morbillis raucedo jungatur, horum morborum ſigna adſunt. Sin cauſis externis originem debeat, ex rerum nonnaturalium abuſu at-

que exceſſu præcedente hoc manifeſtum fiet. Sic ſi in raucedine ſerum cogulatum eſt, tuſſisque ſimul affligit, ægrotum diu ſub jove frigido verſatum fuiſſe colligere licet.

PROGNOSIN quod attinet, & ſpeciatim SALUTIS & MORTIS, ratione GENERIS, in ſe & ex ſuâ naturâ raucedo periculoſa non eſt, nec incurabilis quoque, dum adhuc recens, & in principio; unde & ſæpe vulgò negligitur, & naturæ ſoli committitur. Quæ verò initio neglecta, periculoſior, majusque hinc timendum malum. Si enim cauſæ hanc procreantes non imminuuntur, atque tolluntur, periculum imminet, ne in poſterum vox magis rauca evadat, & penitus deficiat. Sic quando larynx, ut alicubi ſcribit *Galenus*, ab iis, quæ à capite decidunt, madeſit, principio quidem rauca fit vox, progreſſu verò temporis pauca, & ſi longius procedat malum, tota aufertur. Inveterata verò ſeu antiqua, quæque firmiores admodum jecit radices, vix curationem admittit. Imò exſtat *Gordonii* prognoſticum, vocis raucedinem, per annum quæ duravit, vix curari. Videatur *Foreſt. Lib. 15. obſervat. 32. p. m. 171. Sennertus Lib. 2. Prax. cap. 4. part. 3. p. m. 361.* Id tamen cum grano ſalis intelligendum eſt, quando cauſæ gravitas adeſt, & non tam intemperies quàm vitioſa conformatio vel eroſio malum fovet. Unde & longinquam multi autores ac plurium annorum fuiſſe tandem depulſam confitentur.

SUBJECTI ratione, ſenes ubi hoc laborant affectu, difficilius curantur, cum branchi & coryzæ in valdè ſenibus *πεπασμὸν, coctionem* non admittant, elogio *Col. 2. aphoriſm. 40.* ob caloris coquentis debilitatem, & ſeri vappeſcentiam. Contrarium tamen aliquando accidit, ſi provida adhibeatur diæta, id quod *Nicolaus Leonicenus* ſuo exemplo docuit. Cum enim ætatis anno nonageſimo ſexto tentaretur raucedine & gravedine, recitanti citatum aphoriſmum Savanorolæ reſpondit verum eſſe, ſed non de medicis, quod & eventus teſtatus eſt, referente *B. Rolfincio epit. Aff. partic. l. 1. p. 1. c. 19. p. 87.*

Ratione CAUSARUM, gravior eſt & periculoſior, quæ à cau-

cauſis internis, item quæ ab humoribus acidis, ſalinis, auſteris, oritur; hi enim dolores, eroſiones, accenſiones laryngi inferunt, unde cum raucedine ſputa viſcoſa & ſalſuginoſa, mala ſunt, teſte *Hippocr. in coac. t. 221.* Sic quoque gravior eſt, quæ per ſe & primariò larynge affecto, quàm quæ per conſenſum fit. Huc quoque pertinet illa, quæ pro cauſâ ſiccitatem nimiam agnoſcit, adeoque habituatam intemperiem notat. Facilius verò illa curatur, quæ à cauſis externis fit; item quæ alios comitatur morbos, ubi nempe morbo curato hæc quoque ceſſat. Aliàs verò *συναποθνήσκει, commoritur*, quod in phthiſicis potiſſimum contingit. Ab intemperie inducta minus rebellis, à conformatione periculoſior & gravior. Sic quæ ab uvulâ corroſâ vel exciſâ fit, incurabilis eſt.

Ratione Temporis, periculoſior illa eſt, quæ non cum anni tempore concordat, cum teſte *Hippocrat. 2. aphor. 34.* morbi graviores eſſe ſoleant, qui à temporibus anni plurimum recedunt: raucedines verò ſunt morbi hyemis peculiares.

Si Longitudinis & Brevitatis ſpectemus loculos, ex chronicorum morbus hic eſt noſter numero, & niſi maturè huic auxilium feratur, non tantum per menſes aliquot, ſed & multos annos nonnunquam, imò interdum quoque per totam durat vitam. Vid. *Borell. cent. 4. obſ. 29. p. m. 300. Plater. Tom. 1. prax. p. m. 492.*

Modus eventus etiam conſiderandus eſt. Ad *ſalutem* terminatur *πεπασμῷ*, alteratione materiæ, diſcuſſione, paulatinâ ſolutione ac excretione. Sic quando raucedini ac tuſſi ſputum ſupervenit, bonum ſignum eſt, notat enim hanc ſolutam fore, remotâ per ſcreatum materiâ vitioſâ à glottidis confiniis. Ad *mortem* colliquatione, quod de hepaticis confirmat *Hippocrates in coac. t. 270.* item ſuffocatione, quando enim difficili reſpirationi ſupervenit, ægrotanti periculum imminet, ne ſuffocatus intereat.

## Caput VIII.

# Methodum medendi ſecundum indicationes proponit.

ABſolutis iis, quæ ad morbi noſtri theoriam ſpectant, ſubjecto, cauſis, differentiis & ſignis, nunc ad curationem progreſſum facimus, quæ tribus abſolvitur indicationibus: *Curatoria, Præſervatoria & vitali.*

Curatoria tota in eo erit, ut affectus, in aſperitate & inæqualitate conſiſtens, hâc ablatâ, complanatâ & correctâ tollatur, ſicque ſciſſioni aeris inſtrumenta ſonora iterum velificentur.

Præservatoria removendis cauſis invigilat, & ne inſtrumenta vocalia obſideant, impetantque, vel profligatæ novas acquirant vires, occupata eſt.

Vitalis totius vires, & partis affectæ tonum reſpicit, ſymptomatibusque aliis urgentibus, ſi quæ fuerint obvia, frena ponit.

Hiſce indicationibus verò ex triplici fonte, Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico ſatisfit.

## Caput IX.

# De Fonte Chirurgico.

CHirurgica inter auxilia primò ſe offert Venæsectio, quæ an in morbo conveniat noſtro, diſquiri meretur. Cum enim non tam ſanguis peccet, quàm lympha ſeu ſerum, humor à ſanguine diverſus; cum non tam in vaſis, quàm extra vaſa idem conſiſtat, facilè patet, Venæſectionem raucedini, quà tali, minus convenire.

Nonnulli, inprimis ſi catarrhus jungatur, illam valdè periculoſam eſſe pronunciant, cum catarrhoſi phlebotomati utplurimum ſint rauci. Id tamen ex uno vel altero caſu factum eſſe magis videtur, quàm ex venæſectione. Confer *Schneid. lib. 4. c. 3. de catarrhis p. m. 350. 351.* qui pluribus falſo

catar-

catarrho laborantibus venam ſecuit, nullum verò vidit raucum factum.

Uti ergò raucedo promiſcuè & directè venæſectionem non indicat; Ita catarrhus eandem abſolutè non prohibet. Hinc caſus dari poſſunt, ubi venæſectio etiam in raucedine conveniat, imò neceſſaria ſit, ut quando affluxus catarrhi ſalſi eſt gravior, quando corpus ſanguine abundat, atque ebullitio nimia ſimul adeſt; æger vino copioſius uſus, ſuppreſſæ evacuationes conſuetæ, menſes, hæmorrhoides; autore *Mercurial. conſil. medic. 12. p. m. 66.* ætas, vires, anni tempus, conſuetudo, aliæque circumſtantiæ eandem ſuadent. Vid. Excellent. *Bohn. in diſſ. de catarrhis §. 29. Foreſtus lib. 17. obſervat. 134. p. m. 476. Schneid. lib. 4. de catarrhis cap. 3. p. m. 347. Scholtzius lib. 7. conſil. 80. p. m. 548.*

LOCUS ſit vena vel communis, vel cephalica, & ſi in toto plenitudo redundet, etiam mediana, quam quoque *Foreſtus loco citat.* commendat. Hinc enim ſanguinis & hujus vehiculi, ſeri ſcilicet, motus impetuoſior refrænatur, & humoris morbifici ad partem affectam inhibetur affluxus, motuque hinc ducitur contrario.

Quoad quantitatem verò, non tam liberaliter inſtituatur; præſtat enim & in hoc caſu parcum, quàm nimis prodigum eſſe, & tutius eſt infra ſubſiſtere, quàm exquiſitè evacuare: ne, quia hîc ſedes & vitæ eſt theſaurus, uti *Helmontius* loquitur *de febribus cap. 2. p. m. 100. §. 22.* hujus nimiâ profuſione, vires hinc nimis concidant.

Succedaneæ Venæſectionis ſunt CUCURBITULÆ, & per ſe quoque conveniunt, tùm ſcarificatæ, tùm ſiccæ. Scarificatæ ad ſcapulas commendantur apud *Horſtium lib. 2. obſerv. 12. p. m. 69.* Cum enim glandulæ & vaſa lymphatica notabili reperiantur copiâ in partibus intercutaneis, hâc ipſâ evacuatione ſanguinis & ſeri manifeſta fit humoris depletio. Nec metuendum, ne cucurbitulæ dorſo & ſcapulis applicitæ humores in thoracem trahant, atque ſic major fiat affluxus ad pulmones; imò & commodè cruribus & brachiis applicari poſſunt. Siccæ verò quoniam ſpiracula cutis reſerant, atque lympham, ſeu

ſerum

ſerum ad circumferentiam promovent, divertunt & diſſipant, tantò præſentius ſe commendant.

Vesicatoria nuchæ vel parti cervicis poſticæ applicata huc quoque referenda, laudata *Mercuriali conſ.90. p.m.390.* quando malum magis urget, à defluxionibus & ichoreſcentiâ ſeri fovetur, diutius duravit, nec levibus depelli vel ſolis pharmaceuticis geſtit. Confer *Williſii Pharmac. rational. Part. 2. ſect. 3. c. 3. p. m. 221.* Eadem eſt ratio

Fonticulorum, qui licet quotidiè parum evacuent, ſucceſſivè tamen magna ſeri acrioris & vitioſi copia educitur, cum inſigni ægrorum levamine atque emolumento, quicquid etiam contra eorundem uſum *Helmontius, Martinus* aliique ſtatuant. Hinc quoque in noſtro morbo admittendi, inprimis ſi malum per aliquod tempus duret, & rebelle magis ſit. Sic enim humores morbificos, ad partes alias debiles & diu afflictas deferri aſſuetos, fonticulus deflectit, & convenientiori loco educit, adeoque ab illorum incurſu partem affectam liberat, & munimenti inſtar defendit.

Locus applicationis poteſt eſſe vel in brachio, vel in pede, vel in ipſâ nuchâ quoque. Sic *Hildanus* commendat hujus applicationem ad internam partem poplitis dextri, *cent. 4. obſ. 24. p. m. 526.* In brachio *Scholtz. l. 7. Conſil. 80. p. m. 548.* Sunt, qui & in ſuturâ coronali excitant fonticulum, dum ſibi perſuadent per hanc viam expurgari illos humores, qui in capite generantur, & ad ſubjectas partes deſcendunt. Vid. *Excell. D. Amman. in Paræneſi lib. 5. ſection. 1. cap. 2. p. m. 398.*

Setaceum verò quid præſtiterit in hoc morbo, docet *Fabrit. Hildan. loco citato*, qui morbum noſtrum tali modo feliciter curavit, ubi etiam modũ applicandi proponit; & poſt Deum, ait, nihil præſtantius eſſe ſetaceo ad debellandum eundem.

## Caput X.

# Pharmaceutica continet.

Abſolutis iis quæ ad Chirurgiam ſpectant, progredimur ad Pharmaciam, velut centrum armamentarii medici, unde generoſiſſima depromi queunt remedia.

Leni-

Lenientia, ut in quovis morbo locum habent atque innoxia & indemnia ſunt, ſic quoque ſpeciatim in noſtro conveniunt, quod primas vias ab humoribus vitioſis liberant, blandeque inteſtina abſtergunt, & ſic collectas impuritates peregrinas ad inferiora divertunt, ne ſtagnare in reliquum corpus poſſint, atque ad laryngem quoque conſequenter redundare. Ad alvum nempe comodiſſime omnium derivatur ſeroſa colluvies, & exinde coagulata pituita, ut promptè liberentur ſic partes vocales, ſeu tuſſi, ſeu raucedine afflictæ.

℞. MP ♀ *ear. Querc.* ℈j. *extract. aloes* gr. xij. *rhabarb.* gr. viij. *reſin. ſcammon.* gr. v. M. F. l. a. pilulæ minores, cum ſ. q. ℞æ ♀*i*, conſpergantur *cremore* ♀*i*. S. Lindpillen.

℞. *cremor.* ♀*ri* ℈ß. *reſin. gialap.* gr. iiij. *croc.* ♂*is aperitiv.* gr. iij. ⚯ *caryophyll.* gtt. j. M. F. l. a. pulvis. S. eröffnend Pulver auff einmahl.

℞. *radic. 5. aperient. glycyrrhiz.* a. ʒj.
*paſſul. min. fol. ſenn. ſ. ſ.* an. ℥ß. *cryſtall.* ♀*i* ʒij.
*prun. dulc.* n. v. *pulp. tamarind.* ʒj. Coq. in ſ. q. 🜄 *fontan.*
Colat. ℞. ℥iij *ſir. roſar. ſolut.* ℥ß. S Lindträncklein.

Pertinent huc quoq; *pilul. angel. aloeticæ Francofurtenſ.* & aliæ, exhibendæ ante cœnam vel prandium, cum cibo; ita enim cum minus moleſtæ ſint, naturæ opus, chylificationem ſcilicet, non interturbant, illam verò blandè diſponunt & ſtimulant, ut mane ſequenti una vel altera ſequatur ſedes.

Paria his faciunt, quæ ſubtus applicantur, ſeu ſuppoſitoria, quæ in officinis jam parata proſtant, ſeu clyſteres, quæ ex emollientibus, reſolventibus & blandè alvum laxantibus fieri queunt. Vid. *Mercurial. Tom. I. conſil. 90. p. m. 393.*

℞. *rad. alth. lil. alb. glyzyrrh. helen.* an. ʒij.
*herb. parietar. viol. mercurial.* an. m. j.
*flor. chamom. malv. melilot.* a. mß.
*ſem. fœnicul. aniſ.* an. ʒiß. *rad. helleb. nigri* ʒij.
*colocynth. in pet. ligat.* ʒj. Coq. in ſ. q. 🜄 ſimpl.
Colat. ℞. ℔j.

🜕 *lil. alb. chamom.* an. ℥ß.
*elect. diacathol.* ℥v. ⊖ ♀*i* ʒj. M. F. Clyſter.

Humoris correctoria Præparantia omninò & hîc ſunt neceſſaria, quibus peccans non ſolum alteratur, ſed & ad expulſionem aptus redditur humor, pro ipſius diſpoſitione diverſâ varianda, uti ex inferius dicendis apparebit.

Sequuntur Purgantia, quæ optimè huic noſtro conveniunt affectui. Commendant eadem *Codronch. conſil. de rauced. p. m. 140.* ubi ſuadet evacuationem totius corporis, *Hildan. cent. 4. obſ. p. m. 524. Mercurial. Tom. I. conſil. 12. p. m. 65. Lotichius l. 2. obſerv. c. 6. p. m. 228.* Hæc enim ſerum & copiâ peccans, & vitioſis, exoticis atque peregrinis particulis inquinatum, & in coagulum pronum, optimè disjiciunt, fundunt, educunt, ſeu primæ viæ vitioſorum humorum ſaburra abundent, quam è corpore promptè eliminant, ſeu ipſa M. S. ſero vitioſiori & recrementitio ſcateat. Imò vix ſucceſſum felicem ſibi quis citra hæc ſub morbi gravioris morâ promittere poterit; his enim præmiſſis, & partibus potioribus, craſſioribus, viſcoſis ablatis, à diaphoreticis hinc tenuius reſtitans commodius evacuatur.

℞. *pulv. laxativ. vegetab.* ℈j. *reſin. ſcammon.* gr. iv.
♁ *diaphor.* gr. iij. 🜕 *cinnamom.* gtt. j. M. F. Pulv. S. Purgierpulver.

℞. *extr. agaric. cathol. Andern.* an. ℈ß.
*reſin. ſcammon.* gr. v. *mag. g. g.* gr. ij. 🜕 *fœnic.* gtt. j.
*elix. propr.* q. ſ. M. F. pilul. n. xij. S. Purgier-Pillen.

℞. *decoct. fl. & fruct.* ℥iij. *extr. agar. rhab.* a. g. vj.
*mechoac. alb. ppt.* ℈j. *ſir. roſ. ſolut.* q. ſ. S. Laxiertränckle in.

℞. *conſerv. roſar.* ʒj. *pulv. purg. Cornach. laxat. veget.* a. ℈ß.
🜕 *aniſi* gtt. j *ſacch.* q. ſ. M. F. l. a. Bolus S. Purgierbiſſen.

Vomitoria an conveniant, dubitari poteſt, quod non in viâ ciborum regiâ, ſed vicinâ huic alterâ affectus conſiſtat; unde excuti non æquè poteſt humor peccans. Et verum ſanè eſt, fruſtrà ferè ſolicitari œſophagum & ventriculum, ubi aſpera arteria malè habet. Attamen certis caſibus non

negligenda penitus eadem, quando ſcilicet ventriculus vitioſis humoribus impletur, unde non ſolum digeſtio & fermentatio ciborum vitioſè peragitur; ſed & cum maſſâ hinc ſanguineâ partes iſtæ heterogeneæ vitioſam ſuam ideam communicant. Ventriculum igitur expurgare, & eliminare primarum viarum ſordes convenit, ut fermentum priſtino ſuo reſtituatur vigori, atque hinc potentior atque efficacior hujus emergat efficacia, & ſic ſua munia iterum, modò cautè id fiat, nec læſio major indè timenda ſit, ritè exſequi queat. Sic v. gr.

℞. ♀ *emet.* g. ij. *ſpec. diair. ſimpl.* g. vj. M. F. Pulv. S. Brech-Pülverlein.

℞. *extract. aloes laxat.* gr. viij. ☿*ii vitæ* gr. ij. *elæoſacchar. aniſ.* g. j. M. F. l. a. Pilul. vj. S. Brech-Pillen.

A primarum viarum expurgatione digreſſi, ſicubi eadem fuerit neceſſaria, offendimus aptiſſimum præſidium in Diaphoreticis. Hæc enim non ſolum in abundantiâ & repletione humorum magni ſunt momenti: verùm etiam acrimoniam conjunctam ſalinam, acidam ac rodentem obtundunt & domant, atque maſſam ſanguineam ab exoticis fermentis liberant, & ſeroſum laticem per cutis poros excludunt, unà verò torpidos & quieſcentes humores agiles reddunt magis & vividos, reſolvunt, attenuant & evacuant; unde jure merito panacea morborum ſeroſorum vocantur. Exempli loco ſint ſequentia:

℞. *elect. diaſc. Frac.* ʒj *pulv. bezoard. maj. Wedel.* gr. xv. *magiſt. anodyn.* gr. ij. *ſacchar.* q. ſ. M. F. Bolus S. Schwitzbiſſen.

℞. C. C. *philoſoph.* ℈j. *bezoard. ☽ial.* ♁ *diaphor.* an. ℈ß. *cinnab.* ♁*ii* gr. ij. M. F. pulvis. S. Schwitzpulver.

℞. ▽ *cardui bened. fl. ſambuci* an. ℥j. *elect. diaſcord. Fracaſt.* ʒj. *lap.* ♋. ∀ *ſigill.* a. gr. vj. *flor.* ♃*is* ℈ß. *ſir. de fumar.* q. ſ. M. F. Hauſtus. S. Schwitz-Tranck.

℞. *Rx bezoard. D. Præſ.* ℥ij. *M. S.* ℥ß.
*eſſent. anodyn.* ℈ß. M. S. Schwitzmixtur.
℞. *liq. CC. ſuccinat.* ℥iß. D. in vitr. S. Schwitzwäſſer-
lein.

Diuretica licet primâ fronte parum in raucedine videantur proficua, quod locus ſit remotior, nec in infimi ventris cohobiis latex ſtagnet; nihilominus tamen polychreſtum & communem ſuum uſum etiam hîc monſtrant, quandoquidem ſerum fundunt eximiè, & lympham à coagulo arcent, divertunt quoque excernendum aqueum ad alveos debitos. Ex horum ſelectu ſuccinata cumprimis huc fecerint, nec ipſa nitroſa excludenda.

℞. ▽ *petroſelin. apii, fœnic. cerefol.* a. ℥j.
*-us ⊖is ✱ci aniſat.* ℥j. *extr. irid. Flor. helen.* a. g. iij.
*ſir. capill. veneris* ℥vj. M. D. in fict. S. Reſolvir-Tränclein.

℞. *arcan. duplicat. Mynſ. ſuccin. alb. ppt.* a. ℈j.
*oc.* ♋. *ppt.* ♁ *diaph.* a. ℈ß. ⊖ *volat. ſuccini* gr. iij.
M. F. pulv. S Reſolvirend Pülverlein.

Inter particularia evacuantia ſeri Errhina huc ſpectant, à *Codronchio in conſil. de raucedine* commendata *pag. m. 142.* Locum habent, quando caput gravatum eſt, atque humores viſcidi atq; pituitoſi ſive coagulati disjiciendi ſunt, dum non ſolum glandulosas narium partes penetrant, ac tenuitate ſuâ viſcidioris humoris ſecretionem promovent; ſed etiam conſecutione quâdam ipſorum ventriculorum cerebri ſuperfluam lympham deplent, cum nares cerebri emunctoria ſint, atque ſic ulteriorem humorum ad Laryngis ſubſtantiam affluxum prohibent.

℞. ▽ *anagall. majoran.* an. ℥ß.
*pulv. euphorb. ppt. elater.* a. gr. iij.
*moſch. opt.* gr. j. M. S. Waſſer zur Naſen.

℞. *liquor. errhin. D. Præſid.* ℥ß S. ut ſupra.

Hujus liquoris ſingulo die ſemel vel bis per nares parum attrahatur, prout opus erit. Tacemus pulveres & alia hujus generis, aliunde repetenda.

Masti-

MASTICATORIA verò non admittenda quibusdam videntur, quaſi humores trahant ad partem affectam, laryngem, magis. Quoniam verò particulis ſuis activis ſerum viſcidum concretum diſſolvunt, atque humores ſalivales fluxiliores reddunt, & glandulas palati, faucium, majores miliaresque ſolicitant, ſerum copioſius ſecernitur, quod collectum per os exſpuitur: atque ſic affluxus ad laryngem inhibetur potius, quàm ut vim inferre queat eidem. Accedit, quod maſticatoria blandè agunt, horumque uſus ſecurior videtur, quoniam caput non ita ac à ſternutatoriis concutitur. Conveniunt tamen tantum, quando ſerum in coagulum abit, & pituiteſcit; aſt ſi hoc acrimoniâ tenui & fluxilitate peccat, atque fauces ulceribus laborant, minus locum habent, teſte *D. Præſ. de medicament. facultat. lib. 2. ſect. 2. cap. 12. p. m. 217.* Talia ſunt *caryophyll. arom. Zingiber, pyrethrum, herb. majoran. cubeb. ſal* ✱, quod lingvæ admotum evocat humores aquoſos, *maſtiche granulata*, & alia.

Abſolutis evacuantibus ad ALTERANTIUM claſſem nos convertimus. Ea verò, ut ex ſuperioribus patet, ſerum moderari debent, modò craſſum tenax, viſcidum, concretum, modò tenue & fluxile magis, acre, ſalſum.

Quando itaque priori modo diſpoſitum eſt ſerum & glutinoſitate magis peccat, conveniunt incidentia, attenuantia, detergentia, quæ omnia laryngem ab iſtâ liberant moleſtiâ. Ex aliis laudamus inprimis *elix. pectoral. Rolfinc. Wedel. eſſent. myrrh. balſamic. rorell. helenii, ⁓tum ⊖is ✱ci ſimpl. & aniſ.* quem in raucedine commendat *Sylv. in prax. pag. m. 870.* Radicem ari cum pondere æquali *ſacchari canti* permiſtam commendat *Horſtius.* Acetum ſcilliticum laudat *Ebnſina lib. 5. ſumma 1. tract. 12.* quod tamen tantum convenit in raucedine ortâ à defluxione, non verò quæ clamorem nimium pro cauſâ agnoſcit.

Faciunt huc quoque quæ ſulphure blando oleoſo gaudent, ut *ſuccinum, benzoe* & inprimis flores hujus, qui tamen in copiâ non aſſumendi, ne laryngem irritent. Myrrham electam in ore contentam, usque dum ſponte diſſolvatur, magnum adjumentum

in raucedine afferre, ſtatuit *Platerus Tom. I. prax. p. m. 492. Horſt. lib. 2. de ſanitat. tuend. cap. 5 pag. m. 210.* Sic quoque laudatur braſſica ab *Hoffmann. in method. medend. pag. m. 307. lib. 1. cap. 19.* Reſolventia quoque hic non omittenda ſunt, qualia ſunt *lap.* ♋, *ſuccinata*, ♁ *diaphoret.* & ♁ *nativa*, quatenus lympham alterat & fluxilem reddit, ut & cætera reſolventia, quæ expectorationem promovent: item *ſperma ceti*, quod commendat *B. Etmüll. in diſſertat. de ſpermat. ceti cap. 2. §. 11. Scholtz lib. 7. conſil. 81. pag. m. 553.* Cumprimis verò dulcia quaſi medium locum tenent, & abſtergendi & inviſcandi uſu laudanda, ut ex melle & ſaccharo parata omnia, *ſaccharum cantum, manna, glycyrrhiza*, ejusque ſuccus groſſior & ſubtilior, *jujubæ, ſebeſten, caricæ &c. extractum helen. irid. glycyrrhizæ, looh. ſani & expert. troch. bechici* omnis generis, *ſirupi pectorales praſii, tuſſilag. hyſſop. capill.* ♀*is, jujubin.* & præ omnibus decantatiſſimus in raucedine *ſir. de eryſimo Lobelii*, qui adeò ab autore commendatur *in obſerv. ſtirp. pag. m. 103.* ut juvenculam à decennali raucedine hujus beneficio ſe curaſſe ſcribat; *ſir. pectoralis Mynſ.* quem pro arcano venditat. Eximii etiam ſunt *Looh* varii officinales, ut *de farfara, de caulibus, de pulm. vulp. ſan. & expert.* item *Looh Langii*, quod valdè laudat in *epiſtol. l. 3. pag. m. 934.* it. *roſatum & pectoral. Mynſ.* Imò ipſa anodyna, ſi doſi ſecundariâ & refractâ incidentibus addantur, hîc adhiberi queunt, quatenus reſolutioni & attenuationi ſeri velificantur, hujusque demulcent acrimoniam.

Poſteriori verò modo affectum, quamvis præ altero paulò rarius, indicat incraſſantia, quæ partibus lentis & viſcidis, quibus gaudent, hujus motum nimium inhibent, tenuitatem corrigunt, conſiſtentiam craſſiorem reddunt atque acrimoniam domant, ex *alth. bol. armen. tragac. terr. ſigill. ſpec. diatrag. fr. Looh de papav. diacod. decoct. fl. & fruct. ſir. pap. ſ. rhæad. dialth. Fernel.* ut & *mucilagines ſem. cydoniorum, pſyllii &c.* cum aquis pectoralibus extractæ.

His quoque annumeranda ſunt OPIATA, quæ inſtar omnium ſunt, quatenus fluxiones ſiſtunt, acredinem ſalſam ſeri

cer-

corrigunt,& ad ſtatum deducunt naturalem,ſicque materiam vitioſam atque peccantem ad ejectionem diſponunt, de quibus disquirit pluribus *D. Præſ. Opiolog. lib. 2. ſect. 2. cap. 3. pag. m. 109.* Ex horum claſſe ſunt *eſſ. anod. laud. op. mag. anod. cum ſacch. cant. pil. de cynogloſſ. trochiſc. narcot. Plater.* & ſimilia, tum per ſe, tum cum becchicis remixta.

Ex compoſitis ſequentia locum habere poſſunt:

℞. *pulv. pectoral. balſam.* ʒij.
D. in Scat. S. Bruſtpülverlein.

℞. *elix. pectoral.* ʒij. *Ræ bezoard.* ʒj.
*eſſent. anod.* ℈j. M. D. in vitro. S. Bruſtmixtur.

℞. *aq. hyſſop. tuſſil. ſcabioſ.*
*veron. marrub. cerefol.* a. ℥j.
*extr. glycyrrh. ir. Flor. helen.* a. g. IV.
*elix. pectoral. Rolf.* ʒj. *ſir. hyſſop. papav. rh.* a. ℥ß.
M. D. in fictil. S. Bruſttrăncklein.

℞. *Looh ſan. & expert. de farfar.* a. ℥j.
*pulv. pectoral. Wedel. ſpec. diair. Sal.* a. ʒj.
*ſuccin. albi ppt. extr. glycyrrh.* a. ʒß.
*ſir. de eryſim. Lobelii* q. ſ.

M. F. Looh. D. cum bacul. *glycyrrh.* Aſſumatur per vices parum & detineatur in ore, donec diſſolvatur atque ſic pedetentim deglutiatur, inde enim modificatur in tranſitu lympha in larynge ſubſiſtens, atque ad excretionem magis præparatur.

℞. *ſir. jujub. de eryſ. Lobel.* a. ℥j. *pap. rhœad.* ℥ß.
*troch. becchic. nigr.* ʒiij. *balſ.* 🜍 *aniſat.* gtt. v.
M. D. in fict. S. Löſeſafft.

℞. *conſerv. roſar. rorell. violar.* a. ʒvj.
*rad. ari ppt.* ʒij. ♁ *diaphoret. lap.* ♋. a. ʒß.
*ſir. capillor. veneris* q. ſ. M. F. Electuarium.
S. Bruſtlatwerge.

℞. *ſucc. glycyrrhiz.* ℥ß. *ſpec. diair. diatrag. frigid.* a. ʒij.
*myrrh. elect.* ʒj. *extr. helen. veron.* a. ʒß.
*ſachar. cant.* ℥ij. cum mucilag. *tragacanth.* in 🜄 *tuſſilag. ſolut.* q. ſ.
F. l. a. Trochiſci, ſucceſſivè deglutiendi. S. Küchlein unter die Zungen.

Tace-

Tacemus GARGARISMATA, quæ quatenus abſtergunt, alterant & vias liberas præſtant, in morbo hoc adhiberi etiam poſtulant, quorum exempla, ut & plura alia remedia tàm rationi conſentanea, quàm experientiâ fundata hinc inde ex autoribus peti poſſunt practicis, *Horſtio*, *Schneidero*, *Lotichio*, *Sennerto*, aliisque.

Quando verò reliquæ partes, atque viſcera, v. gr. caput, pulmo &c. hoc in loco quoque ſuum contribuunt ſymbolum, ex uſu erunt cephalica, thoracica, aliaque appropriata & his convenientia remedia, è ſuis fontibus petenda.

EXTERNA ſi deſiderentur, locum inveniunt *empl. de melilot.cum ol. amygdal. dulc.* ad colli & maxillarum confinia, aliaque catarrhis diſſipandis dicata. In raucedine à frigore contracta *Borellus cent. 4. obſervat. 27. p. m. 299.* commendat fumum florum ſulphuris per os exceptum cum ſalviæ foliis. Cautè tamen hæc, ut & fumus tabaci ipſe, haurienda, omnis quippe fumus ſalinis atomis gaudet; quæ facilè laryngem magis aſperare quàm lævigare norunt.

## CAPUT XI.

# Diætam proponit.

TAndem ad DIÆTAM pervenimus, cujus neceſſitatem in hoc affectu quoque illo Galenico injungere opus eſt: Fruſtra illis medicamenta præſcribuntur, qui diætam ſervare aut nolunt, aut non poſſunt.

In VITALI AER ſit æqualis, temperatus vel ad calidum magis inclinans, purus, omniumque inquinamentorum expers. Frigidus verò, nocturnus, pluvioſus, humidus nimis, vitetur.

In NATURALI, CIBI ſint ſorbiles,& ex his, qui commodè alunt, atque laudabilem ſuccum, optimumq; nutrimentum præbent,neque excrementa gignunt: caveat verò ſibi æger à crudis, craſſis, viſcidis, acribus, ſalinis, fumo induratis, acidis, & omnibus illis, qui ſuâ acrimoniâ laryngis ſubſtantiam quocunque modo exaſperant. Parcior ſemper quoque in his ſit cœna, & multò

ſatius eſt ſucceſſivè corpori proſpicere, quàm ἀθρόως illud replere. Conveniunt contrà ea, quæ lentore blando complanare parietes norunt, juſcula avenacea, paſſulæ, pultes, ova ſorbilia, gelatina C. C. dulcis, ipſaque pro re natâ lacticinia. Condiantur dulcibus, moderatè tamen, aromata verò, excepto croco rarius in uſum veniant.

Potus ſit non nimius, cereviſia defœcata & legitimè fermentata. Vinum verò vitetur per totum morbi decurſum, vel parcè bibatur ſaltim, quod occulto gaudet acido. Magis nocet vinum in acri tenui catarrho, quàm craſſo & viſcido. Vid. *Foreſt. lib. 10. obſerv. 32. p. m. 476. Hildan. cent. 6. obſervat. Chirurg. p. m. 526. obſ. 24.*

Sunt qui hujus loco commendant decocta pectoralia, *decoctum hordei* cum *ficubus, paſſulis, ſem. aniſi* & *ſaccharo* parum, habitâ cauſæ & ventriculi unà ratione. Vel vulgo etiam celebratur decoctum raparum ſiccatarum.

Pertinet huc quoque abſtinentia à potu, per biduum aut triduum continuata, nonnullis laudata, quatenus tali modo ſeri copia notabiliter imminuitur: quod tamen tantum valet, quando ſerum copiâ peccat, neque acrimoniam aut ſalſedinem conjunctam habet.

In Animali, Affectus Animi modum non excedant, ſed rationis temperentur freno; inprimis verò ira, mœror, timor, triſtitia, vitentur.

Alvus, urina, aliæque Excretiones ſi ſegnius, vel non ſuccedant, natura monenda & ſolicitanda eſt. Veneris quoque uſus parciſſimus ſit, vel planè omittatur. Somnus & Vigiliæ, motus & quies, juſtis menſuris gaudeant, atque mediocritatis obſervent leges. Vociferatio quoque nimia & ſermo continuatus vitetur. Verbo in oculis habeatur vulgatum illud monitum:

Medio tutisſimus ibis.

## SOLI DEO GLORIA.

PRo curis, KINNERE, tuis quid terra reponet
Patria? Te reducem lætas mox ſumet in ulnas.
Fiat! Meque tuis animi conclude medullis.

*Gratiſſimo Convictori, Amico ſuaviſſimo lmq; p.*

CASPAR SAGITTARIVS D.
Prof. Publ. Acad. Jenenſis h. t.
RECTOR.

DUm, KINNERE, Artis jam de *Raucedine* fœtum
prodis, & optatam tendis ad usque metam.

Acci-

Accipe, quos retulit Virtus & ſudor, honores;
Creſcat in immenſum Ars, huic ubi Fama comes.

*Clariſſimo Dno Doctorando ſingularis benevolentiæ ergò ſic adplaudit*

RUD. WILH. Krauß / D.
Prof. Publ.

NIl melius, ſermone, Deum qui monſtrat apertè,
unus qui noſtri portitor eſt animi.
Ut vox exornat, ſic ravis corpora turpat,
quando caret propriis articulata ſonis.
Te verò, decus hoc ori dum reddere geſtis,
laude novâ decoris laurea digna manet.

*Nob. KINNERO affectûs ſinceri teſſeram, cum voto proſperrimi ſucceſſus in praxi medicâ, ut patrem ſi non ſuperet, tamen adæquet, ponit*

PRÆSES.

FAucibus eſt ingrata quidem raucedo; medelis
Tu tamen hanc firmis jam removere vales.

*Nobil. & Cl. Dno Ddo*

*novellos Doctorales honores feliciſſimos optat ſimulq; invidendos in praxi ſucceſſus adprecatur*

AUGUSTINUS HENR. FASCHIUS, D.
Prof. Publ.

---

VNde ſit *os raucum*, monſtras KINNERE. *Sonorâ*
Fama Tibi laudes voce ſubinde canet.

*Ita*

*Nobiliſſ. Dn. DOCTORANDO diſputatione Inaugurali cauſas RAVCEDINIS doctiſſimè explicanti, boni ominis & fauſtæ gratulat. ergò adjiciebat*

CASPAR POSNER, P.P.

*FINIS.*